Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36530
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

47

tam profundi · tam immundorum spirituum flatibus periculosum. Id est uult puellarum figura · non curat uoluptatis illecebrasque constantiam captare mentis effeminatae. Quae autem illa unda · nisi nostrae scopuli sunt salutis? Nihil enim tam caecum · quam saecularis suauitatis periculum · Quae dum mulcet animum · uitam obruit et corporis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. Merito ergo dominus ihesus ieiunio suo nos atque deserto aduersus uoluptatum illecebras informat. et temptari se a diabolo dominus omnium patitur: ut in illo omnes uincere disceremus. Aduertimus ergo quia tria non otiose a domino principaliter ordinata, euangelista descripsit. Tria enim sunt quae ad usum proficiunt salutis humanae. Sacramentum · desertum · ieiunium. Nemo enim nisi qui legitime certauerit coronatur. Nemo autem ad certamen uirtutis admittitur. nisi prius ab omnibus ablutus maculis delictorum · gratiae caelestis munere consecretur: XV. CAP.

.xv. Venit ergo dominus ad lauacrum · ut mysterii gratia nobis et uisu probaretur et sensu. Et quo lex caelo et terris testibus promulgatur. ut mysterium diuinitatis absconditum a caelis inde plus crederes esse quam lege. Non iam ad testimonium solum uocatur sed utitur testis officio cum uox dei defertur e caelo. Simul ne fidei mysterium dubio mentis offendas. inuisibilia tibi uisibiliter declarantur. Operari uenit dominus ad lauacrum · omnia enim pro te factus est. His qui sub lege sunt quasi sub lege esset. cum ipse sub lege non esset. Circumcisus est. ut eos qui sub lege sunt lucrifaceret. his qui sine lege erant [illegible] communitate sociatus est. ut lucraretur eos qui sine lege uiuebant. Factus est infirmis infirmus per corporis passionem. ut infirmos lucrifaceret. omnibus postremo omnia factus. pauper pauperibus · diues diuitibus · flens flentibus · esuriens esurientibus · sitiens sitientibus · profluus habundantibus; in carcere cum paupere est. cum maria flet. cum apostolis operatur. cum samaritanis sitit. In deserto esurit ut cibum primi hominis quem per praeuaricationem gustauerat ieiunio domini solueret non periculo. Adam